



est: *Incipit Gregorius super ezechielem*. Homiliae omnes XXII. ut habentur edit. *Maur. Paris. 1705. T. I. col. 1173. f.* cum Praef. ad *Marianum Ep.* Ante Homiliam XIII. haec Rubrica: *Incipit secunda pars (non Liber) omeliarum beati Gregorij &c.* Neque ejus Praefatio ab ipsa Homilia discreta est. Lectio comparata cum Editione *cit.* satis proba est; omisit tamen Librarius primam vocem Praefationis mox dictae *Quoniam*, et in fine Operis, ubi alii legunt *per dolores innumeros*, alii *per dolores et vulnera innumera*, Mauriani vero *per dolores et munera*, habet *per dolores et vulnera et munera*.

II. fol. 106. p. 2. *Incipit Gregorius super cantica*. Ita nempe: *Postquam a Paradisi gaudiis expulsum genus humanum &c.* Abjudicaverat hanc Expositionem a *Gregorio Petr. Guffanvillaeus*, sed luculentis rationibus ei adserta est a *Maurianis T. III. edit. cit. col. 393.* quorum collatione Textum nostrum paucis naevis laborare comperimus. Adscripta est illi fol. 131. continuo Commentatio una in illud *Cant. IV. v. 13. Emissiones tuae paradisi &c.* de tribus emissionibus: *prima coniugatorum penitencium in mundo, secunda conuersorum continencium in claustro, tertia predicatorum qui fructum faciunt in populis &c.* altera de exeuntibus e mundo *per septem dietas*; ista vero evulsis membranis mox abrumpitur. Nihil hae ad *Gregorium*, sed recentioris *Ascetae* sunt.

## CCCLXXXI.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 473  
Folior. 295. f. per duas columnas a diversis quidem, sed commode perscriptus, et olim a *Thoma Hasebachio* testamento, ut frons edicit, legatus ad collegium beate marie virginis domus bursa rose apud fratres predicatorum in wyenna completitur sequentia: I. absque divisione in *Libros*, notato tamen *Libri II. Prologo*, et praemisso exiguae opis Indiculo *Homilias XXII. Gregorii M. in Ezechielem Proph.* prout habentur edit. *Maur. T. I. p. 1173. Paris. 1705. f.* Ineunt a Praefatione ad *Marianum*, quem Codex neque sic, neque *Marinianum*, sed *Maximianum* vocat: *Omelias que in beato ezechiele propheta ita ut populo loquebar &c.* et sic satis castigate decurrunt usque ad *Homiliae ult. verba: Sed nobis solerter inquirendum est, qui — —* edit. *cit. p. 1425.* in quibus Librarius, nescio cur, calamum excussit.

II. fol. 143. ad *Henrici nostri de Hassia* Scripta deducimur, et primo quidem ad memorabilem Tractatum de Schismate inter *Urbanum VI. et Clementem VIII.* deque *Vaticiniis* eapropter gliscentibus, praecipue *Theolori*, seu *Telesphori* cujusdam *Eremitae*, qui merito vapulat. *Capitibus* constat XLVII. quorum nobis praeit Elenchus, quem excipit *Dicatio: Reuerendo in christo patri ac Domino Domino B. (Bertholdo de Wechingen ✠ 1410.) frysfingen. Episcopo &c. Olim veteres in populo*